ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Elegantiæ, Vir Nobilissime, tuæ tantum nostri spirant amorem, ut mirer quod te mihi astrum temperet: Pantusiæ [?] nunc Gorisiæ [?] adfinitas num in partem venit? Plus ergo hic in epithalamio cum Parmenone boni feci imprudens, quam sciens ante istum diem unquam: Tantumque laudes in carmine infra Gorisiæ merita meæ, quantum supra mea in litteris tuæ steterunt. Non ita mihi Suffenus sum, quin istud sentiam; Non ita iniquus, quin profitear. Nec profiteri satis. Quid reponam? Parce pudori meo, parce et stupori qui nec paria facere, nec verba quidem quæ regerat invenire potest. Hinc factum ut nomen hoc neglectum bene diu jacuerit dum novum aliud me incautum oppressit, quod ipsum quoque Batavorum oppidi Genium lacessivit. Coram στόμα πρὸς στόμα tecum agere statueram. Vahalim transieram, pedem scaphæ qua Arnhemium veherer admoveram, cum Illustriss^i ad caput Insulæ et arcem recens expugnatam profectio nunciatur, tunc spes visendi Arnhemi Huygenidis decollavit. Ab illo tempore modo iratis Vralibus [?] de itinere cogitavi, modo nova nescio qua spe, quæ mihi hic tui conveniendi copiam promisit et nunc etiam promittit, iter Arnhemiense æque atque litterarium responsum in hunc usque diem distuli. Tantum nunciare debui ne neglecti officii reus agar. Vale Vir Nobiliss^e, et quod facis ama

N. et D. tuæ
Addictissimum Jos: Smith

Exteros antiquaria nostra supellex procos, et domesticos invenit æmulos qui illam elocatam atque protrusam vellent et iisdem rationibus non parum utuntur momentosis, quando vasa mihi colligenda erant. Sed nihil hic in illam partem te inconsulto statuere animus est. Plura coram. Adjicio epigramma in litteras quas Druyna [?] cum carmine ad me dedisti.

Insanus te traxit amor tenuitque supellex
Spectata est quoties frivola nostra tibi?
Et breve cum longo mutasti carmine lemma
Huygenide, insanus te quoque traxit amor!
Quanto ergo magis insanit, quicunque vetusta
Temporis et sumptus prodigus ista parat!

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 27
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1268

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 27
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1268

Monsieur

Monsieur Huygens
Seigneur de Zuylichem

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Smith) 27
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/1268